

S P E C I M E N
ZOOLOGIAE GEOGRAPHICAE,
QUADRUPEDUM
DOMICILIA ET MIGRATIONES
SISTENS.

DEDIT, TABULAMQUE MUNDI ZOOGRA-
PHICAM ADJUNXIT

EBERH. AUG. GUILIELM. ZIMMERMANN,

PROFESSOR MATHES. ET PHYS. COLLEGII
CAROLINI BRUNSVICENSIS.

*Mirum, rerum naturam non solum alia aliis dedisse terris animalia, sed in
eodem quoque situ quaedam aliquibus locis negasse.*

PLIN. SECUND. Lib. VIII. Cap. LVIII.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD THEODORUM HAAK, ET SOCIOS.

M D C C L X X V I I.

magnitudine inprimis & colore inter se distant. *Africani* enim generatim iis minores sunt, quos *India* orientalis fovet; licet *Mozambiquenses* saepissime *Indiae orientalis* incolas statura superare ferantur. Optimae indolis *elephantes*, quos maximis dentibus natura armavit, *montani* vocantur (v); quia montium maxime fessores esse solent. Color animantis ex fusco plerumque canus est; nonnulli tamen lucidiori, quin albo penitus notati inveniuntur, qui tamen singularem speciem nullam efficiunt, rarioribus potius sunt accensendi. Hinc fit, ut *Indiae* reges de elephantium *alborum* titulo dominioque inter se conflictentur (w).

S E C T I O X V I.

Rhinoceros (a).

§. I. *Rhinoceros*, qui corporis mole *elephanto* parum cedit, eas quidem ipsas fere cum illo regiones, non eadem tamen copia, frequentat. Nec ipsum tam alte boream versus adscendere inde colligo, quod peregrinantium nullus se illum in *Senegae* ripis obvium habuisse testatur; nec *Bosmannus* in *Guineae*, quam dedit, descriptione, rhinocerotis mentionem fecit. *Africae* regiones, in quibus primo conspicitur, *Aethiopia* sunt & *Abyssinia* (b), dein *Congi* campos, *Angolae* montes (c), *Anzicanam* regionem, *bonae spei* (d) promon-

(v) Buffon T. XI. p. 23.

(w) Olearii Anhang und Beschreib. Mandelslo Reis. 1696. p. 140.

(a) Linn. Syst. p. 104. Buffon XI. p. 98. & seq.

(b) Ludolf Hist. Aethiop. Lib. I. Cap. X. §. 78.

(c) Pigafetta l. c. p. 29. (d) Kolbe l. c. p. 159.

montorium, terramque de *Natali* dictam pervagari dicitur (e). In *Asia Bengalae* (f), *Siamis* (g), *Cochinchinae* (h), *Sinensisque* provinciae *Quang-si* (i) & *Suchuen* (k) incola est. In *Sandaucis* (l) *insulis* omnibusque propemodum aliis terris, quas elephas inhabitat, *rhinoceros* etiam invenitur. In *Africa* propemodum nullas earum, quae cis aequatorem sitae sunt, terras occupat, illumque vix ad decimum latitudinis gradum & paulo amplius progredi suspicor, quamvis per naturae suae constitutionem altius procedere possit.

§. II. Nec eandem ipsum cum elephanto foecunditatis vim habere, ex eo liquere autumo, quod hi gregatim, *rhinocerates* vero singuli, raro bini, rarissime plures in campis discurrentes observentur; majoris tamen ponderis aliqua non praetermittenda ipsorum varietas occurrit. Quum enim elephanti molis tantum magnitudine colorisque diversitate inter se dissideant: his etiam in rebus *rhinocerotes* quidem a se invicem distantes, aliique majoris, alii minoris formae & structurae, alii furvo, alii subfusco solum colore infecti conspiciuntur. Sed quosdam etiam repertos esse ferunt, qui duobus, quin & tribus interdum cornibus armati fue-

-
- (e) Allg. Reif. T. V. p. 210.
 (f) Voyage de Pyrard 1679. p. 237.
 (g) Turpin Hist. de Siam T. I. p. 291. Allg. Reif. T. X. p. 315.
 (h) Borri Hist. Cochinchina. 797. v. Pennant. p. 75.
 (i) Allg. Reif. T. VI. p. 113.
 (k) Neuhoßs Gesandtschaft nach China p. 370.
 (l) Bontii Hist. Natur. Ind. p. 51 & 52. ap. Pison. (Java) Vide etiam Jorgen Andersen, Orient. Reisen Hamb. 1696. pag. 11. Olearius: Anhang und Beschreib. Mandellso Reif. p. 144. (Sumatra).

fuerint. Et *Kleinius* (m) & *Eberhardus* (n) in historia naturali varias duplicium istorum cornuum imagines dederunt, quales in *philosophicis* quoque *transactionibus* (o) exhibitas scimus. *Hamiltonius* (p) insuper se in terra *Natali rhinocerotis* caput, quod tribus juxta positis cornibus instructum fuerit, invenisse confirmat. Ex quo *Linnaeus* quidem varietates hujus bestiae duobus vel tribus cornibus praeditas dari colligit (q); *Pallasius* autem, de effossis in *Siberiae* campis animantium sceletis anquirens (r), multiplicata ista cornua crescentis tantum senectae indicia esse; & quemvis *rhinocerotem*, dum aetate annisque provehatur, duplici vel triplici cornu armari satis probabiliter evincere studuit. Quam litem nemo, nisi cui animantis hujus historiam naturalem in ejus patria exquirendi facultas data fuerit, dirimere, reiue veritatem praesens in lucem proferre poterit. Quicquid interim sit, *rhinocerotem* uno, duobus, tribusque cornibus insignem, unum eundem quadrupedem, cornuumque istam multitudinem minime diversas species, sed, ad summum, varietates quasdam efficere, omni dubio caret.

S E C T I O

(m) *Quadrup. Disposit. Tab. II. p. 29.*(n) *Eberhards Thiergeschichte. 1768. Tab. II.*(o) *Ph. Transact. Abr. IX. p. 100.*(p) *Hamilton's Voy. to the East. Ind. T. I. p. 8.*(q) *Linn. Syst. Ed. XII. p. 104.* (r) *Nov. Commentar. Petropol. T. XIII.*